



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De monacho à calore caulium recedente, & à diabolo per speciem mulieris  
mox tentato, cap. 51.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

homo diabolo det materiam tentandi. CAESARIVS:  
Hoc verum esse, vno tibi ostendam exemplo.

## CAPVT LI.

**S** Tabat aliquando conuentus de Hemmenrode  
in horto, plantarium caulium terræ infigens;  
stabat & monachus vnus cum cæteris Thomas  
nomine, cui talis cœpit cogitatio suboriri: Si modò  
esses in domo patris tui, ancilla tua non dignaretur  
tam vilissimum opus facere. Exiuit ergo de medio  
fratrum cum indignatione, illuc eum ducente spiritu  
superbiæ, vbi fortius eum posset impugnare. Cùm er-  
go in silua solus esset, tentator adfuit, & qui priùs so-  
la cogitatione pulsauerat, nunc aperta impugnatione  
& visibiliter aggreditur. In specie namque mu-  
lieris apparens, cœpit alloqui eum. At ille digitum  
superponens ori suo, significauit non licere loqui si-  
bi. Sed mendaciorum omnium caput & pater ilico  
per mulierem illam fantasticam, quam effigiauerat  
ad deceptionem, respondit: Quid hoc sit, inquit, ne-  
scio, ego venio de cōuentu, & Prior dedit mihi licen-  
tiã vt loquerar tecũ. Credidit ille, & locutus est. Tunc  
illa asseruit parentes ipsius misisse pro eo, & oportere  
eum Treuerim ire secum ad emendum equum, & sic  
transire in terram suam. Præcedendo igitur misera  
miserum ducebat, ipsa quidem frutetorum omnium  
cōdensa sine impedimento transiens, ille verò cum  
magna difficultate sequebatur. Tandem asperitate  
itineris & laboris turbatus, in nomine, inquit, Patris  
quomodo sic imus? Quo dicto, maligna illa mulier  
citiùs euauit. Et cùm cæli esset serenitas magna, ea-  
dem hora circa eum facta est tempestas & pluuia, ip-  
sumque madefactum exterius interiùs confusum re-  
misit ad conuentum. Confessus postea est, quòd quã-  
diu cum muliere illa deambulabat, maximam carnis  
titillationem habuerat. APOLLONIVS: Puto quòd  
fuerit spiritus fornicationis. CÆSARIVS: Iustè moue-  
ris: sæpe enim peccatum peccato punitur, & per lap-  
sum carnis superbia mentis in multis humiliatur.  
Inde habes plurima exempla in vitas Patrum. APOL-

*Homines  
interdũ  
præbere  
Diabolo  
materiã  
tentandi.*



Iob 1. 2.

**L O N I V S :** Potest diabolus lædere aliquē prout vult  
**CÆSARIVS:** Nequaquam sine Dei permissione, & hoc  
 in corpore sicut Iob, nunquam verò in anima homi-  
 nem lædere potest, id est, vt eum peccare cogat, nisi  
 mente consentiat.

## CAPVT LII.

*Diabo-  
lus nul-  
lum p-  
est. Ioge.  
re ad pec-  
catum.  
\* Augu-  
stin. ser.  
297. de  
temp.*

**D** iabolus similis est vrsu siue leoni ad stipitem li-  
 gato, \* qui licet in catena sua rugiat circum-  
 iens, neminem tamen lædit, nisi quem infra suū  
 circulum rapuerit. Diaboli potestas catena diuine co-  
 hibitionis sic arctata est, vt neminem cogere possit ad  
 peccandum, nisi ad eum ingrediatur per peccati con-  
 siliū. Secundu Apostolum Petrum: Tanquam leo  
 rugiens circuit, in sua catena, quarens quem deuor-  
 ret. Sæpe sanctos viros terret & impedit, sed nocere  
 non potest.

## CAPVT LIII.

*1. et. 5  
Diabo-  
lus bono  
impedi,  
dum no-  
cere ne-  
quit.*

**I** n Bonnensi ecclesia, sicut audiui ab eius concano-  
 nicis, vir quidam exitit castus, multumq; religio-  
 sus, cui diabolus ita infestus erat, vt sæpe noctibus,  
 cū lecturus esset lectionē ad matutinas, literam te-  
 geret, vel folium verteret, & quandoque lumen exuf-  
 flaret. Hoc ideo egit, vt virum sanctum coram fratri-  
 bus confunderet, & confundendo ad impatientiam  
 prouocaret, cuius nequitia tanta est, vt cū religio-  
 sos irritare vel impedire non valet, saltem eos impe-  
 diat & subsannet.

## CAPVT LIV.

**R** etulit mihi quædam religiosa sanctimonialis  
 ordinis nostri, Petriſſa nomine, quodd cū sta-  
 ret in quadam solennitate ad matutinas a cete-  
 ris sororibus semota, & aliis validè psallētib; in gra-  
 tiarum actionem erumperet, dicens: Benedictus sis  
 Domine, quodd iste dilectus conuentus tam deuotè te  
 laudat, tu illis retribuas; mox audiuit strepitum horri-  
 dum, quasi alicuius de retro ad conuentum properan-  
 tis, clarâque voce dicentis: Hoc fiet pro Deo, oratio-  
 nem eius subsannans. Et inhorruerunt continuò om-  
 nes capilli capitis eius, **A P O L L O N I V S:** Sæpe subitus  
 hor-